

CAP. XIV.

1. *Quid, & quotuplex sit interna, Spiritus S. persuasio?*
 2. *Quidque ordinaria? 3. Eamque, qualem*
Theologi statuunt, non dari.

1. **R**Eformati, ut cap. 10. ex ipsis attulimus, præterquam quòd S. Scripturam sui ipsius Interpretem esse statuunt, etiam suas in hòc negotiò Spiritui Sancto, & quidem præcipuas, tribuunt partes: nempe illius testimonium internè Fidelium mentibus veram interpretationem obfignare, ac de eâ plenissimè persuadere: cùm S. Scriptura tantùm externa norma sit interpretandi, quæ viam ad internam illam *πληροποιεία* sternat. Hujus autem Sententiæ difficultates, omiſſis iis, quas suprà movimus, ut in conspectum prodeant, illius patronos rogare libet, quid per internum testimonium internamve Spiritus sancti persuasionem intellectum denotatumque velint: multifariàm enim accipi possunt ista vocabula. Si respondeant, esse suam mentem, quòd nullus veri S. Literarum sensus, undecunque etiam ille hauriatur, & quâcunque Methodò investigetur, plenissimè queat esse certus, nisi naturali intellectus lumine illius veritatem clarè atque distinctè perceperit, atque illius apud semetipsum perceptionis intimè conscius fuerit, quæ in omni certitudine, extra omnem dubitationem evectâ, requiruntur: adeoque claram illam distinctamque perceptionem, simul cum ejus conscientia sibi venire nomine internæ persuasionis, interni que Spiritus Sancti testimonii, eandem, quam nos, fovebunt sententiam, ut ex iis, quæ suprà de Philosophiâ cap. 5. §. 6. arbitrati fuimus, facile patet. Sin verò dicant, se non lumen intellectus naturale, aut quod illi superstructum est intelligere; sed lumen Spiritus supernaturale, non rationi connatum, sed adventitium, non menti inclusum atque acquisitum, sed infusum atque inspiratum, cujus radiis illuminatus animus atque firmatus dictamini accepto acquiescit; rursus eosdem, cùm duplicem Spiritus sancti inspirationem statuunt, ordinariam nempe atque extraordinariam, hancne, an illam intelligant, interrogatos volo. Extraordinarium divini Spiritus lumen affulſisse Prophetis, Evangelistis, atque Apostolis, reliquisque sacrorum Codicum Scriptoribus, in Dei verbò intelligendò atque interpretandò, apud omnes in confessò est: *His enim, ut habet Polanus, per immediatam revelationem, absque labore & industriâ verum Scripturæ sensum revelavit Spiritus sanctus: quæ ratio, sunt verba Chamieri, nunc nulla exspectatur, & jam pridem cum Montani paracletò Entusiastarum Prophetias valere jussit Ecclesia.* De Ordinariò igitur iis tantùm sermo erit.

M

2. At